

D F N

1604



00
1A
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XXII.
E XXVI, XXVII, capi-
tibus Geneseos, ad privatam
συζητησιμ. proposita.

à

SALOMONE GESNERO, S.S.
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
Vitebergensi

De qua die 16: Maij Anno Christi 1599. respondebit
σὺν θεῷ

ANTONIVS BVSMANNVS
Cellensis.



VV I T E B E R G A E,
Imprimebatur Typis Meissnerianis,
M. D. XCIX.



REVERENDO ET
GENEROSO DOMINO DN:
CONRADO A BOTHMAR, ILLUSTRIS
Coenobij Lunæburgici ad S. Michaelem
Abbati, &c.

N E C N O N


MAGNIFICO, CLARISSIMO,
EXCELLENTISSIMO, QVE VIRO DN. FRIDE-
RICO A VVEYHE I. V. D. Illustrissimi principis ac
Domini, Domini Ernesti Ducis Brunsvicensis &
Lunæburgensis, Cancellario.

Meccoenatibus literarum amplissimis, Pa-
tronis suis magnis

*Debita observantia & gratitu-
dinis ergò
offert*

Antonius Busmannus
Cellensis.

Thesis Prima.

 Aput hoc meritò ἑδοικτορικὸν & itinerarium Isaaci appellatur. Siquidem in eo commemoratur, primo, quod Isaac tamen compulsus in terram Philistinorum, Geraram, sit profectus, deinde quod invidia & injurijs Philistinorum expulsus inde in vicinam vallem, & hinc iterum alio, tandemq; in oppidum Bersabee redierit.

II.

Vita enim piorum in hoc mundo est peregrinatio Gen. 47. 9. Psal. 39. 13. Ebr. 13. 14. 2. Cor. 5. 6. Phil. 3. 20.

*Questio I. de profectioe Isaaci
Geraram.*

III.

Non modò in exilio inque fuga sed etiam in ἀποδημία & peregrinatione duo sunt vitanda extrema. Alterum quidem temeritas, sicut Pontificiorum Eremitæ, & illi, qui ad loca sancta iter emensi sunt, similesq; alij absque iustâ causâ, propria *In peregrinatione que sint spectanda.* ἰδελοδρησκεία, peregrinationes instituerunt, & hodiè multæ curiositate quadam in loca vel pontificiæ superstitioni vel aliarum secturam errorib. dedita cum periculo proficiscuntur, Matth. 15. 9. Syr. 3. 27. Ier. 43. 2. 3.

IIII.

Alterum verò pertinacia, quòd quidam Stoico fato demeritati ne manifesto quidem periculo cedere volunt, cum possint Ier. 38. 2. 3. 4. 5. 6. sicut Plato è loco pestilente insalubrem transferre scholam noluit. Aelian. lib. 9. cap. 10.

V.

Isaac medium sectatur, èq; terra sibi & posteritati promissa non temeritate quadam, sed fame compulsus, & insuper à Deo iussus Geraram, oppidum Philistinorum non procul ab Hebrone versus meridiem situm, commigrat.

VI.

A 2

Gerar

Gerar.

Gerar limes Chananzorum Gen. 10. 19. à peregrinatione nomen accepit Gen. 20. 1. 2. & 26. 1. paruitq; Abimelecho Philistinorum regi. Abimelechí verò appellati sunt Philistinorum reges, ut Aegyptiorum Pharaones, Gen. 20. & 21. & 26. Psal. 34. 1.

VII.

Ita aliàs persecutio Matth. 10. 23. Act. 8. 4. aliàs inopia verbi Esa. 48. 20. Apoc. 18. 4. Amos 8. 11. alias penuria pios expellit, quæ causæ exiliij sunt legitimæ.

VIII.

Nec impij solummodò sed etiam pij, & maximè quidem publicis calamitatibus premuntur, 1. Petr. 4. 17. Ideo Abraham cap. 12. 7. & hic Isaac famem experitur Ebr. 12. 5. 6.

Questio secunda de apparitione Dei.

IX.

Verfanti proinde Isaaco in exilio Deus sese clementer & primò quidem, singulari modo conspiciendum exhibet. In tenebris siquidem lumen oboritur recto Psal. 112. 4. Psal. 91. & 34.

X.

Instruit autem sollicitum salutari præcepto, ne in Aegyptum descendat, quò patris exemplo, Gen. 12. 1. & amplitudine familiæ & fame iam quoq; Geraram inuadente adductus cogitabat, sed ut ea in regione, licet minus fertili, subsisteret, non ut Dominus, sed ut hospes Ebr. 11. 9. Act. 7. 5. Deo enim perinde est, sive in deserto sive in fœcundo solo, suos conseruare Psal. 107. 33.

XI.

Mandato iucundas & gratiæ plenas promissiones addit. Quarum prima est de præsentia auxiliij, protectionis, gubernationis: ERO TIBI, Chald. ad filium Dei τὸν λόγον refert: Erit verbum meum tibi in adiutorium Matth. 18. & 28. Ioh. 14. sicut enim olim ἄσπεκτος, ita nunc ἐνσπεκτος ubiq; suis adest. Eph. 4.

Omnipresentia Christi.

12. Altera



XII.

Altera promissio est BENEDICTIONIS, quæ non in phrasi & verbis, sed in rebus & factis consistit. Nam Dei benedicere est bene facere, Prou. 10. 22.

XIII.

Tria verò Dominus beneficia olim secutura Isaac postero promittit. Duo sunt corporalia, prius terræ Chanaan, in qua etiam tractus erat Gerarensis, possessio. Siquidem Deus semper Ecclesiæ & pijs nondum natis hospitio prospicit Psal. 113. 9. Matth. 2. 13. 23. posterius, generis innumerabilis amplificatio. Psal. 127. 128.

XIIII.

Tertium beneficium finis & scopus priorum est, ideo enim priora præstantur, ut nimirum ex hac gente inq; ista terra nascatur semen benedictum, in quo omnes gentes terræ benedictionem æternæ salutis per fidem in ipsum adipiscantur. Gen. 12. 3. 18. 18. 22, 17. Gal. 3. 8.

In Christo benedicuntur omnes gentes.

XV.

Non enim omnes, siue credant siue non credant, sed fideles cum fidei Abrahamo benedicuntur, Gal. 3. 9, sine ulla populorum & gentium distinctione Gal. 3. 28.

XVI.

Et vocabulum universalitatis iuxta Canonem sacrarum literarum sic explicandum est, ne vel in Oceano ἀορισία, Origenianæ, Puccianæ, Huberianæ: vel in Syrtibus absolutæ certum personarum è singulis gentibus electarum prædestinationis, circa Fidem, sine qua nemo benedicitur, naufragium faciamus. 1. Tim. 1. 19, Ebr. 11. Rom. 14-23.

XVII.

Causam porrò Dominus tantæ suæ erga Isaacum totamq; gentem benignitatis duplicem addit: quarum prior est καὶ δ' αὐτὸ & κύριον αἰτίον, ut compleam, inquit, iuramentum, quod sponendi Abrahamo patri tuo. Gratis absque intuitu operum, iuraverat, gratis etiam se id præstiturum pollicetur, Gen. 3. 12. & 15. 6. Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. Eo quod beneficia Dei & vocatio talia sunt, quorum ipsum non poenitet Rom. 11. 29.

Promissio Dei gratuita.

XVIII.

Posterior est *τις τιμωρητικὸς* honoraria, minimè meritoria,



Bona opera licet non sint meritoria, gratuita tamen à Deo compensationem habent.

toria, eo quod obtemperavit, inquit, Abraham voci meæ etc. Opera enim fidelium cum non sint ipsorum, sed Dei, Ioh. 6. 29. 2. Cor. 3. 5. Phil. 1. 6. 2. Cor. 4. 7. & alioquin debita Luc. 17. 10. multisq; modis contaminata Es. 64. 6. imò temporalia & exilia, non possunt æterna bona benedictionis & salutis promereri Rom. 11. 6. Rom. 3. 20.

XIX.

Ornat nihilominus Deus pro sua benignitate illa ipsa temporalibus & æternis beneficijs, 1. Timoth. 4. 8. Matth. 25.

XX.

Ac in describenda Abrahami obædientia pluribus Dominus verbis utitur, non ut integram & omnibus numeris absolutam, sed ut sinceram & ab hypocrisis alienam esse significet, Psal. 32. Iob. 15. 1. Ioh. 1.

XXI.

Neq; ex eo, quod legis, statutorum & præceptorum fit mentio rectè Rabini inferunt, Abrahamum habuisse legem Moysi iam tum scriptam. Intelligit enim Deus hisce vocabulis tum notitiam divinæ legis naturæ inscriptam, tum imprimis revelationes suas & peculiaris mandata Gen. 12. 13. 17. 21. 22. edita, nec non doctrinam de vero Deo viva voce à maioribus traditam.

Quæstio tertia de simulatione & dissimulatione Isaaci.

XXII.

Cum Isaacus Deo obtemperaverit, & Geraræ commoratus sit, ut Moses subiicit, videndum est, quid isthic ei euenerit, & quid egerit. Primum est, quod viri illius loci de uxore ipsius inquirunt. Libido enim fermè, in principum & regum aulis usitata est. 2. Sam. 11. Matth. 14. 3.

XXIII.

Isaac fingit Rebecam esse suam sororem.

Isaacus autem errore quodam lapsuq; humanæ ignorantia seu timiditatis Ier. 17. 9. Vxorem esse dissimulat, sororem autem esse simulat. Nam sancti quoq; sæpè in consilijs & alijs

& alijs vitæ actionibus hallucinantur. Prou. 24. 17. Psal. 146
quod ipsam Abrahamo cap. 12. & 21. euenit.

XXIII.

Profectum est hoc Isaaci consilium non ex instinctu
Spiritus sancti, sed è carnali trepidatione & timore hominum,
ut Moses indicat V. 7. sed non tantopere metuenda sunt pe-
ricula ab hominibus imminetia, ut contra Dei mandatum
aliquid committamus. Tutelam enim fidemq; cum vitæ
quoq; discrimine coniuges sibi mutuò debent. Matth. 10. 28.
1. Corinth. 7. 26. 27. 28.

XXV.

Diu verò hæc dissimulatio durare non potuit. Deus enim
manifestè vult omnibus testatum facere, se citra carnis con-
silia suos posse præstare incolumes. Ephes. 3. 20, Rom. 11. 34.
Esaï. 40. 13.

XXVI.

Ac cum Deus Isaaco promississet: ego ero tecum & bene-
dicam tibi, divino potius auxilio quàm suâ prudentiâ niti de-
bebat. Prou. 8. 14. 2. Paral. 20. 12.

XXVII.

A fraude tamen & malitioso mendacio nocendiq; studio
patriarcha meritò excusatur, ut sentit Augustinus lib. 22. con-
tra Faustum Manichæum, capite 34. & 46.

XXVIII.

Exactis diebus, ut ait Moses, multis, Abimelechus rex Ge- *Lusus Isaaci*
rarensis indicio minimè dubio animadvertit Rebeccam esse *cum Rebecca.*
Isaaci vxorem non sororem: cum videlicet coniugaliter cum
ea ludentem per fenestram conspexisset.

XXIX.

Faustus Manichæus hanc ob causam Isaacum calum-
niatus est, sed Augustinus ita illum reprimit: sancti coniugati
descendunt quodammodo ad fœminei sexus infirmitatem, ut
aliquid blanda hilaritate vel dicant vel faciant, non ener-
uantes, sed temperantes virilem rigorem: ibidemq; duos &
inhumanos, & sine affectu, & deniq; oblitos, unde creverint,
& ingratos quod creverint, nuncupat eos, qui pro crimine
obijciant sancto viro, quod cum vxore luserit. lib. 22. contra
Faust. cap. 46.

30. Ac

XXX.

Coniugalis
ἔνωσις

Ac cum Spiritus sanctus non in dedecus sed potius in commendationem amoris coniugalis inter Isaacum & Rebec- cum lusum hunc annotaverit, idcirco ἔνωσις coniugum mutua nequaquam est communis contumelia, ut Tertullianus quon- dam Montani erroribus fascinatus asseruit. 1. Cor. 7.

XXXI.

Monachorum
σκυδρωπία

Monstrent verò Monachi & cœlibes ubi in scriptura suam illam σκυδρωπία in pharisæis Matth. 6. 16, & in disci- pulis Luc. 24. 17. à Christo vituperatam Spiritus sanctus appro- bauerit.

XXXII.

Num Abimelechus iustè Isaacum obiurgaverit, quarri- tur. Ac quòd Patriarcha coniugium suum dissimulavit, id me- rito vituperatur: quòd autem Rex adulteri, si commissum fuisset, tum culpam, tum poenam soli Patriarchæ imputat, id iniquum est. Quandoquidem non modo adulterium, ut Rex opinatur, sed etiam scortatio cum libera divinitus senerissimè prohibetur & gravissimè punitur, Exod. 20. Matth. 5. 28. Le- vit. 20. Iudic. 20. Gen. 6. & 19.

XXXIII.

Quàm verò usitata apud Gerarenses fuerit scortatio & promiscua libido, non modo ex Isaaci metu, sed etiam è regis opinione, nec non è mandato, sine quo Rebecca tuta esse non potuisset, luculenter apparet, Rom. 1. 29.

XXXIII.

Laudanda tamen principis est primò quidem humani- tas, quòd Isaacum non accusat de incestu cum sorore com- misso, non etiam arguit, quòd scortum secum circumducit: deinde castitas, quòd reuerentiam cognati sanguinis eiusmodi maritalem lusum & iocum erga sororem non admittere ex- istimat: deniq; verò φιλοξενία, quòd incolumitatem Isaaci & Rebeccæ capite sancit. Ebr. 13. 2. Atq; hinc colligimus, ethnicis quoq; naturã notum esse, scortationes & adulteria divinitus esse prohibita, ab incestuosis libidinib. naturã ipsam abhorre- re, Deumq; talium scelerum vindicem esse, & sæpe universa regna propter paucorum flagitia punire Rom. 1. Ebr. 13. 4. 1. Cor. 6. 9. Eph. 5. 5.

Quæstio

*Questio quarta de divite
Isaaci messe.*

XXXV.

Cum autem diligentibus Dominum omnia cedant in bonum Rom. 8, ideo Deus sicuti pollicitus fuerat, ego ero tecum & benedicam tibi, Isaacum cum coniuge non modo adversus libidinem & vim impurorum hominum tuetur, sed etiã præter omnem expectationem in agro alieno & conductitio Actor. 7. messem illis centuplo foenore largitur. Psal. 126. 5. 2. 127. 2. Cor. 9. 10. Leuit. 26. Deut, 28.

XXXVI.

Et benè quidem Hieronymus errorem 70. interpretum animadvertit, qui de una specie frumenti, hordeo nimirum hoc exposuerunt, cum indefinitè mensuram cuiusq; frumenti denotet. Perperam enim pro Searim, quæ vox mensuras & modios denotat, legerunt seorim, quod hordeum est. Ex solo enim hordeo tantas acquirere divitias vix potuisset.

XXXVII.

Ac quod Isaac vno illo anno plus, quàm seuerat, centuplò messuerit, textus disertè dicit, quod autem reliquis etiam annis non vulgarem frugum proventum habuerit, ex eo liquet, quod Moses ait, illum creuisse non ilicò, sed pergendo & accrescendo, Prou. 13. 11.

XXXVIII.

Theodoretus q: 76. duabus circumstantijs hoc miraculum illustre fuisse perhibet; vna fuit temporis, altera loci. Cum enim omnes, inquit, in summa inopia & necessariorum penuria constituti essent, & terra nihil produceret, πολὺν ὄσπρον αὐτὸς καρπὸν ἔλαβε, multiplicem ille fructum accepit.

*Miraculum
et arum frugum*

XXXIX.

Sed quemadmodum uxoris pulcritudini libido Philistinorum insidiabatur, ita iam fortunam Isaaci invidia excipit, Iob. 7. 1. quæ Gerarenses eò adducit, ut cum per regis edictum ab iniuria illi facienda prohiberentur, puteorum usu hospitem seq; adeo ipsos spoliarent,

B

40. Verè

XL.

Invidia.

Verè enim utrumq; dictum est, alterum à Salustio, quod invidia ex opulentia oriatur, alterum ab Antisthene, quod, sicut rubigo ferrum, ita invidia invidos consumat. Invidus enim hostis sibi ipsi est, seq; ipsum supplicio afficit, & hoc unum in invidia bonum inest, quod invidus seipsum punit.

XLI.

Appollonij accusator supplicio effectus.

Quemadmodum Commodi Imperatoris tempore quidam Apollonium de Christiana fide accusare non dubitavit, licet delatores Christianorum lex ab Imperatore lata vivere non sineret, ipseq; cruribus contractis plecteretur, Euseb. li. 5. cap. 19.

XLII.

Philistini fontes ingesta terra obstruentes imago sunt hæreticorum & phanaticorum hominum, qui humanis traditionibus, Philosophorum inventis & commentis scaturiginem sinceræ doctrinæ aut inficiunt aut obruunt, ut Basilius in apologetica ad Cæsarienses epistola scribit. Apocal. 8. 11. & cap. 16. 3. 4.

XLIII.

Neq; his contenti Gerarenses principem insuper suum crebris delationibus & querelis permovent, ut prophetam hospicio eijciat, causâ productâ prorsus futili, quod ait: potentior nobis factus es. Neq; n. terrori sed solatio potius esse debebant hominis p̄ij & fidelis diuitiæ, ut in Abrâhamo Rex Sodomitarum expertus erat Gen. 14. Sed non attendunt, diuino factum esse miraculo, ut solum illud, naturâ sterile, tantam frugum copiam proferret: ideoq; frustra est, quod agrum sancto viro eripiunt, similemque proventum sibi ex eo pollicentur.

XLIIII.

Isaac ut priores illas obstructorum fontium iniurias patientia superavit, neq; quenquam in ius idcirco vocavit, ita regis edicto libenter paret, eq; oppido Gerar in vallem, quæ vicina erat torrente irrigua & proinde ad habitandum à nemine magnopere expetita, commigrat. Matth. 10. 23. & 5. 28. 30. Nam dictionem Nachal per torrentem Hieronymus & Chaldaeus reddunt, per uallem græci, quæ non sunt contraria.

Quæstio



*Questio quinta de contentione
ob puteos.*

XLV.

Sapientissimè dixit D. Basilius: Canes nutritione cicurantur, & cultu mansuescunt leones: invidi verò ad obsequium magis efferantur: & Nazianzenus, invidia probum virum sequitur, œstrum existens impuri spiritus: Id hoc loco Isaacus experitur, cui ethnici aquæ elementum subtrahere conantur.

*Invidia fœdum
vitium.*

XLVI.

Et si enim ex urbe illorum discedit, iniurias tamen declinare non potest: cum enim puteos quondam ab Abrahamo, patre, paratos, postea Philistinorum petulantia limo oppletos expurgaret & instauraret priscisq; appellationibus quasi postliminio à legitimo hærede vindicatos nuncuparet, iurgiis & calumnijs incessitur.

Fontes fodere

XLVII.

Exemplo verò Isaaci non modo patres familias bona hæreditario iure accepta instaurare et augere Prou: 13. 11. & 24. 3. 4. & 27. 25. & 28. 19. sed etiam œconomi mysteriorum Dei per vallem lacrymarum iter facientes fontes aquarum viventium effodere aq; fimo & limo humanarum traditionum expurgare, Psal. 84. 7, neque limites propheticos à patribus positos novitatis studio transferre debent, Prouerb. 22. 28.

XLVIII.

Ne vindictæ simus cupidi patientia Isaaci monemur Rom. 12. 9. cui satis est acceptæ injuriæ *μνημόσυνον* immutatis fontium vocabulis statuisse dum alterum à iurgio Hefek, alterum ab odio Sitna denominavit.

XLIX.

Cum appellatio Sitna eiusdem sit originis, à qua & Satanæ nomen descendit, indicare vult propheta, odium & invidiam qua filij huius seculi adversus verbi ministros & Christi ecclesiam flagrant, non aliunde, quàm à Diabolo esse. Iohan. 8. Matth. 26.

Sitna.

L.
B 2

Vnde

Vnde rectè Chrysoſtomus, inuidiam nominavit iu-
mentum, cui infidet Diabolus, & Auguſtinus lib. 1. de doctr.
Chriſt. Inuidia, inquit, vitium diabolicum, quo ſolo (ma-
ximè ſcilicet) diabolus reus eſt, & inexpiabiliter reus. Non
enim diabolo dicitur, ut damnetur, adulterium commiſiſti,
furtum feciſti, villam alienam rapuiſti: ſed, homini ſtanti
inuidiſti. Sap. 2. 24.

LII.

Interim verò quod Deus ad hanc Philiſtinorum maliti-
am cõnuet & puteos patris labore atq; ſumtu paratos filio eripi
ſinit, indicium erat, nondum adueniſſe illud exoptatum tem-
pus, quo hanc terram Abrahami filius & nepotes poſſidere
debeant.

*Queſtio ſexta de geſtis in
Beerſeba.*

LIII.

*Tertia migratio
Iſaaci.*

Aquæ proinde penuriahinc quoq; pulſus Iſaacus longi-
us à Gerarenſium finibus recedit, ibiq; fontem fodit, de quo
nullum amplius oboritur iurgium. Ideoque ad perpetuam di-
uini beneficii memoriam vocat illum Rehoboth, id eſt, latitu-
dinem. Deus enim quandoq; ſuos etiam in hac vita è cala-
mitatum anguſtijs in latum campum beneficiorum ſuorum e-
ducit Pſal. 18. v. 19. 20. in vita verò æterna ex odijs & calum-
nijs improbi mundi eluctati amariſſimos perpetuæ beatitu-
dinis hortos inhabitabimus, Pſal. 15. & 23. & 36.

LIIII.

*Quarta migra-
tio Iſaaci.*

Tandem verò ceſſante, ut veriſimile eſt, annonæ diffi-
cultate, Iſaacus in Cananæam terram redijt, inq; eum tractum,
ubi Abraham diu commoratus eſt, Gen. 21. 30. qui à iura-
mento Beerſebah nomen invenit, cum familia ſua con-
ceſſit.

LIIIIII.

Quinq; potiſſimum rebus hæc μετοικεσία inſignis eſt.
Principiò quidem, quod Dominus illi iterum apparet & pro-
miſſionem

missionem supra expositam renovat; Apparet autem ea ipsa nocte, qua ex itinere adhuc lassus & hostili odio Philistinorum admodum turbatus erat. Nam Deus adiutor est in oportunitatibus Psal. 9. 10.

L V.

Appellat Dominus se Deum Abrahami, tum ut illum æterna beatitudine frui significet, Matth. 22. tum ut patris exemplo filium in fide, spe, patientia & mansuetudine corroboret Rom. 4. Ebr. 11.

L V I.

Alterum hic notatu dignum est, quod Isaacus ἐρχαίσειν & æterno Deo, extracto altari & prædicato nomine Dei, celebrat Psal. 103. 132.

L V I I.

Tertiò beneficentiam suam promissam Deus ilicò re ipsa comprobat, dum in loco arido fontem seruis aperit, Psal. 104.

L V I I I.

Quemadmodum & quartum benignitatem Dei clarè comprobat, quod non absque Dei instinctu Abimelechus Rex cum amico suo Ahuzath & Pichole principe exercitus fœderis ineundi gratia Patriarcham convenit. Cum viæ hominis placuerint Domino, etiam inimicos ejus convertet ad pacem prov. 16, 7.

*Abimelechus
venit ad Isaac
cum.*

L I X.

Atq; hinc apparet, quod cor principum & regum sit in manu Dei, Prou. 21. 1. 2. 3.

L X.

Exemplo verò Isaaci, qui principem Gerarensis de illatis iniurijs compellat, licet Christianis de vi sibi facta conqueri, imò ministros verbi similis παρρησία decet, ne ad magnatum enormia delicta conniveant Ezech. 13. 18.

L X I.

Quantum autem firmamentum fidei Isaaci ex eo accessisse putamus, quod nuper hostes iam sponte fatentur, se re ipsa videre Domini apud ipsum præsentiam, ipsumq; à Domino esse benedictum. Etsi enim alioquin scit se opes suas non malis artibus acquisivisse, de regio tamen testimonio, quod

B 3

ultrò

ulterò & præter spem affertur, non potest non vehementer sibi
suisque gratulari.

LXII.

Ita verò consueverunt homines odisse & contemnere
præsentes, omni honore prosequi absentes aut mortuos, quod
prophetis accidit Matth. 23. 29. Luc. 16.

LXIII.

Quod Abimelech ad querelas Isaaci nihil respondet, ex
eo liquet, quod ἀμνησεία abolitas velit iniurias, quibus Pa-
triarcha fuerat affectus. Pudet enim homines & maxime hy-
pocritas delicta sua fateri, contra beneficia sua deprædicare
absque omni verecundia non erubescunt, ut hoc loco Rex
Gerarensis.

LXIII.

Quamobrem Isaacus ut animum suum vindictæ profusus
non cupidum ostenderet convivio hospites excipit, nos do-
cens, ut hostibus beneficiamus Rom. 12.

LXV.

Mane verò surgentes iuraverunt alter alteri: sobriè
quandoquidem & religiosè iuramenta tractanda sunt, nō inter
pocula, ne tremendo Dei nomine abutamur Exo. 20. 7.

LXVI.

Postremum deniq; beneficium est, quod serui eo ipso
die, quo rex discesserat, nunciant, se venam & scaturiginem
salubris aquæ reperisse. Nam luctum suorum Deus beneficijs
temperat.

LXVII.

Quod autem in puteis agri Gerarensis minus successere-
rat, ut illis nomina ab Abrahamo imposita restituerentur,
id nunc feliciter ab Isaaco suscipitur. Quapropter puteum iam
effossum in Beerseba eodem vocabulo nuncupat, quo à patre
Gen. 21. 21. fuerat nominatus. Vocat enim eum Sibah, id est,
juramentum, ut rectè vertunt septuaginta, etsi Hieronymus
punctis inhxrens saturitatem eam vocem notare contendit.

LXVIII.

Ipsè enim Moses hanc Etymologiam comprobat, cum
subdit: hinc adeo factum esse, ut locus ille Beersebah ap-
pellaretur. Notari verò debet non modo fortuna & even-
tuum

tuum in patre & filio similitudo admiranda, sed etiam pia in filio optimi parentis imitatio.

L X I X.

Istis verò Dei erga Isaacum beneficijs crux etiam & calamitas domestica ex immorigero & degenero filio Esauo accedit, qui non modo contra parentum voluntatem Dei que sanctionem de Hechæis uxores sibi accipit, sed etiam tales, quarum impietas & alij importuni mores patri iam fermè centenario matrique senio confectæ summoperè molesti erant.

C A P V T XXVII.

Thesis prima.



Vam paternè Deus rem familiarem sancti Isaaci gubernauerit proximo capite explicatum est. In præsentè commemoratur, quàm mirabiliter dignitas Ecclesiastica, qua in primis patriarcha excelluit, Iacobo dicata fuerit.

II.

Ac possunt partes historiæ quinq; constitui. Principio enim Isaacus Esauo præcipit edulij de ferina confectionem, de qua unica parte nunc videbimus. Deinde Rebecca singulari astutia Iacobum informat. Tertio Iacobus personam Esau simulari benedictionem impetrat. Quarto Esauus quoque benedictionem à patre flagitat. Denique idem acerbum erga fratrem odium minis ostendit.

Prima questio de senectute Isaaci.

III.

Senuisse Isaacum Moses commemorat: egisse autem illum annum centesimum trigesimum septimum, ut Demetrius a *Chronologia benedictionis* ad Iacobum *derivata.* pud Euseb. lib. 9. præparati: fol. 247. gr. annotavit, hinc apparet, quod Iacobus anno ætatis centesimo trigesimo cum Pharaone colloquitur eoq; anno Iosephus natus erat annos triginta.

triginta novem annusq; Iosephi natalis est decimus quartus
servitutis Iacobi apud Labanum in Mesopotamia. Gen. 47. 9.
& 41. 46. & 45. 6. & 30. 23. & 31. 41.

III.

Hinc etenim efficitur, Iosephum anno nonagesimo pri-
mo Iacobi fuisse natum, & Iacobum anno vitæ suæ 77. in Me-
sopotamiam ad Labanum venisse.

V.

Cumq; Isaacus annos sexaginta natus susceperit &
Rebecca Iacobum & Esauum, necesse omnino est, illum an-
nos 137. complevisse, cum ab eo Iacobus ad Labanum profi-
cisceretur. Gen. 25. 26.

VI.

*Lippitudo &
cecitas oculorū* Etsi autem μακροβιότης & senectus per se singula: e Dei
donum est, incommoda tamen ingrauescentis & decrepitæ æ-
tatis apud pios paternæ sunt δολιμασίου. Eccles. 12. 1. 2. 3. 4. etc.
Sicut hoc loco Isaac oculorum destituitur acie. Caligare enim
eius oculi cœperant. Tobias planè excœcatur Tob. 2. & Di-
dymus ille Alexandrinus apud Socratem lib. 4. ca. 30. nec non
Maris episcopus Chalcedonis apud Sozomenum lib. 5. cap. 4.

*Questio II. cur Isaac Esauum & non Iacobum
benedictionis heredem instituere
presumpserit.*

VII.

Quod Moses ait: Isaac vocavit Esau filium suum ma-
iorem natu, quæstionem parit eiusmodi. Num Isaacus oracu-
lum Gen. 25. maior serviet minori, aut ignoraverit, aut non in-
tellexit, aut intellectum neglexerit.

VIII.

Ignorasse Rabini quidam sentiunt, sed nullo funda-
mento, & verisimile non est, Rebecca vel etiam Iacobum
annis 77. integris nunquam eius mentionem apud maritum
& patrem fecisse.

9. Scivit

IX.

Sciuit itaq; sed carnali studio & affectu occupatus plus dilexit Esauum, quàm Iacobum. Nam & sanctis hominibus multæ infirmitates adherent Psal. 32. 1. Ioh. 1. 8.

Præpostera dilectio Esauis

X.

Ac quemadmodum alioquin timentibus Dominum omnia cedunt in bonum Rom. 8. ita caligo oculorum, moderante Domino, Isaac & Iacobo prodest, illi ne contra oraculi sententiam delinquat, huic ut in possessionem benedictionis errore patris immittatur.

*Questio tertia de die mortis Isaaco
& omnibus hominibus abscondita.*

XI.

Mandatum, quod Esauo dat Isaacus, quatuor *ἡμέρας* suppeditat. Primo enim cum Isaacus ait: Ecce iam senui, neque novi diem mortis meæ, merito interrogatur, annon sanctissimo patriarchæ per diuinam reuelationem de extremo suo die constiterit, sicut Aaroni Num. 20. 28. Moyfi Deuter. 34. Ezechiaë Esa. 38. 5.

XII.

Ad quod respondetur: etsi Aaroni & Moyfi eo ipso die vel paulo ante diuinitus indicatum fuit, ipsos iam iam morituros, ante tamen illud tempus diem, qui sibi extremus esset futurus, scire non potuerunt, unde Moses Psal. 90 orat. Ad numerandum dies meos doce me &c. Et Ezechias, licet annos se victurum à morbo quindecim cognitum haberet, diem nihilominus ultimum exactè prævidere nequuit.

Nemo hominum novit diem mortis sue.

XIII.

Nam futura homo nullo scire potest nuncio Eccles. 8. 7. imò Deus pro liberrimo suo arbitrio dies largitur alios felices, alios minus commodos, ne scire queat homo, quid futurum sit, eccles. 7. 15. Vanæ proinde sunt de tempore ac genere mortis prædictiones.

XIIII.

Nam ideo latet ultimus dies, ut obseruentur omnes dies, ut ait Augustinus de discipl. Christ. quod Messodanus pius

C

alle

ille senex probè obseruasse videtur, qui cum ab amico in crastinum vocaretur conuiuium: Cur me vocas in crastinum? inquit, qui à multis annis crastinum non habui, sed mortis adventum in singulos dies expectaui.

Quaestio quarta de venatione.

XV.

Ferae olim fuerunt communes.

Præcipit autem Iacobo Isaacus, ut accipiat instrumenta sua, pharetram & arcum egrediaturq; in agrum & feram venetur. Hinc enim talis exurgit quaestio, num Isaac & Esau licuerit eo in solo, ubi nihil habebant proprii Act. 7. 5. venationes instituere, & cur hodie idem non liceat?

XVI.

De qua re sciendum, quod ante lapsum hominibus sine ullo discrimine dominium in bestias diuinitus traditum, Gen. 1. 28. idemque post diluuium quoq; repetitum. Gen. 9. 2. fuerit.

XVII.

Durauitq; longo post tempore promiscua & cuius licita bestiarum venatio, quamdiu videlicet tanta illarum fuit copia, ut beneficii loco haberetur, si quis illas è medio tolleret, ut Salmonis, Dauidis & aliorum historiae testantur. Quamobrem Esau quoque, (licet in alieno solo,) bestias capere tam non fuit prohibitum, quam illarum metu incolas liberare.

XVIII.

Cum verò hodie periculum à beluis unà cum frequentia earundem plerisq; in locis desierit, & magistratus, (modo subditorum agros & bona ab illarum inuasionem tueatur,) feras, tanquam dominiorum & facultatum suarum partem minimè postremam sibi iure vendicet, legibusq; mactationem earum prohibeat, contra septimum decalogi nec non quartum delinquant illi, qui feris, nulla urgente necessitate, sed vel voluptatis vel commodi sui causa, contra magistratus edictum insidiantur.

XIX.

Quod autem Hieronymus in Psal. 90. ait: Penitus non invenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos. id Simsonis, Dauidis, Baneiae 1. Par. 11. Salomonis Cant. 2. 15. & 3 Reg. 4. 23. similiaq; exemplis nec non diuina lege Leuit. 17. 13. refellitur. Et.

XX.

Et quod Augustinus in Psal. 102. venationem nominat
artem nequissimam, non de ipsa per se, de eius autem abusu
intelligendum est, quē grauitur detestatur Hieronymus, quod
nimirum venatores impij primo diluculo non ad ecclesiā vigi-
lent, sed seruulos congregent & retia colligant, seruulos inquā,
secum pertrahant fortasse magis ad ecclesiam festinantes, &c.
decr. dist. 36. cap. 13.

Quaestio quinta de ciborum delectu.

XXI.

Tertia huius loci quaestio inde emergit, quod Isaacus
ait, fac mihi cibos sapidos, quemadmodum diligo. Videtur *Ciborum dele-*
enim patriarcha lautitjs esse deditus, & cibum non necessita- *ctus qualis con-*
tis sed voluptatis causa appetere. *cessus.*

XXII.

Et si autem superstitiosus cibi delectus Col. 2. 16. 1. Tim.
4. 3. & ingluuies Prou. 20. 1. & 23. 21. Eph. 5. 18. merito dam-
natur, cibi tamen potusq; discretio vel valetudinis causa
Syrac. 38. 1. 1. Tim. 5. 23. vel sobria & honesta recreationis
gratia Psal. 104. 15. Syrac. 32. 28. &c. suscepta Deo minimē di-
splicet, cum non omnia prosint omnibus, nec quauis qui-
libet appetat Syr. 38.

*Quaestio sexta qualem personam sustineat
Isaacus benedicens filium.*

XXIII.

Huic mandato pollicitationem addit his verbis: ut be- *Quod benedi-*
nedicat tibi anima mea, antequam moriar. Vbi quaeritur quo *ctio fuerit pub-*
loco & numero benedictio ista haberi debeat? *lica constat 4-*
rationibus.

XXIII.

Quod autem non priuatam sed publicam episcopi &
doctoris atque pastoris Ecclesiae personam in hac actione Isaa-
cus gesserit, extra controversiam est.

XXV.

Nam infra patebit, quantum differat benedictio publica
nomine totius ecclesiae in Iacobum collata, a privata, qua Esauū
fremmentem pater aliquomodo placat. *Et*

XXVI.

2. Et caput atq, membrum benedictionis istius præcipuum thesaurum continet universi populi Dei, promissionem nimirum de Messia è posteritate eius, qui benedictionis erat hæres nascituro.

XXVII.

3. Hanc enim Abraham moriturus Isaac, & hic Iacobo, Iacobus Iudæ, David Salomoni à Deo acceptam quasi de manu in manū tradunt, ne de illa posteri dubitarent, ideo sub extremum vitæ tempus Dei loco, cuius est illa donatio, hæres suos in possessionem illorum bonorum immittunt.

XXVIII.

4. Probè id intellexit Rebecca, quæ mox versu 7. istam patris promissionem Esauo factam sic exponit, quasi Isaac dixisset, ut benedicam tibi coram Domino antequam moriar.

XXIX.

Quo pacto Esauus hoc patris mandatum sit executus & qua ratione astutum Rebeckæ consilium interuenerit, de eò disputatione proxima agemus.

F I N I S.

AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237



sb.

Wort







B.I.G.

Farbkarte #13

TIO BIBLICA XXII.
L, XXVII, capi-
eneſeos, ad privatam
υζητησιμ. proposita.

NE GESNERO, S.S.
Æ DOCTORE ET PRO-
publico, in Academia
Vitebergensi

: Maij Anno Christi 1599. respondebit
σὺν θεῷ

VS BVSMANNVS
Cellensis.



ITEBERGAE,
hatur Typis Meißnerianis,
M. D. XCIX.

10

